DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CONCOCTIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES HODSON.

ANGLUS,

IN EXERCITU BRITANNICO CHIRURGUS.

—— Siquidem cibi ratio ad cujusque naturam semel inveniretur, tum sane mortalibus absoluta sanitas comperta esset.
HIPP. De Diaeta III. 3.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

ROBERTO MASTERS KERRISON,

M. D.

COLL. REG. MED. LOND. LICENTIATO;

&c. &c. &c.

VIRO EGREGIO,

NEC MAGIS DOTIBUS INGENII, LITERIS FELICITER CULTIS

ET DOCTRINA PENE UNIVERSA,

QUAM MORUM ELEGANTIA, VITÆ PROBITATE

INSIGNI;

HOCCE OPUSCULUM INAUGURALE,

UT SUAM

SOLERTIÆ EJUS MEDICÆ VENERATIONEM

ET DIUTURNÆ JAM AMICITIÆ MEMORIAM,

UNA PROFITEATUR,

SUMMA OBSERVANTIA

OFFERT

AMICUS FIDISSIMUS

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CONCOCTIONE.

Auctore Joanne Hodson.

PRÆFANDA.

Corpus humanum ita fabricavit Divinus rerum Opifex, ut nullo modo in pristina conditione manere possit, sed fluxum perpetuo et variabile, variisque excretionibus diminutum, adminiculo alimenti, supplemento ciborum subinde egeat. His enim absentibus cito languescit, marcescit, nec diu post vita ipsa privatur: quin malignius

parciusve concessis, imbecillum et nulli non morbo opportunum evadit. Eo quidem factum est, ut omni ævo, ciborum in succos humanos conversio, principem locum apud vitæ munera obtinuerit, in scriptis medicorum; atque antiquissima, post memoriam hominum, experimenta physiologica huc erant directa: DEMOCRITI volo, cujus *bilis* multo plus ad insaniam, quam cibi concoctionem, attinere videtur. Ne vero tantum munus, propter vitæ necessitates, aliquando intermitteretur, insigni artificio Natura cavit. Duobus enim urgentissimis desideriis, fame scilicet sitique, hominem instruxit; porroque ad actum cibandi tam dulci voluptate allexit, ut ab excessu quam neglectu hujus appetitus multo gravius periclitemur. Illarum vero illecebrarum causam, atra caligine abscondit, saltem nemo adhuc ejus rationem verisimilem reddere potuit.

De causa quidem abdita famis sitisve, haudquaquam hic agere animus est; potius videtur concoctionem ipsam expendere, quo vocabulo intelligo eum processum animalem, quo alimentum e cibis ad varios accommodatur intra corpus usus. Hoc autem opus in quinque curricula na-

turaliter diductum est; nimirum, 1*mo*, Actionem ventriculi et viarum ab ore; 2*do*, Duodeni; 3*tio*, Intestinorum tenuiorum; 4*to*, Vasorum absorbentium; 5*to*, Pulmonum. Ex his aliud ex ordine excipit aliud, posteriore semper priori aliquid mutante vel adjiciente. Ante omnia tamen haud absurdum erit, pauca proposuisse de Ventriculi Gulæque Structura, instrumentorum scilicet istorum operum minime simplicium.

1. DE VIARUM FABRICA.

Universi tubi alimentarii notio esse potest, quasi fistulæ musculosæ per faciem internam membrana mucosa obtectæ. Hæc autem fistula nec ubique ejusdem crassitudinis est, nec figuræ, sed fabrica muco-musculosa primoribus labris incipit, nec desinit ante marginem ani. Tota via muco madet; totus tractus vi irritabili præditus. Sed virtus irritabilis ista haud semper arbitrio nostro subjecta, longe maximam partem, voluntatis imperii immunis est, iis solummodo exceptis partibus, quibus aut ad ingerendum aut egerendum

opus sit. Gulæ initia Os et Pharynx sunt, quorum prior apparatum cibo conterendo et masticando aptissimum habet, et insignem vim glandularum, mucum quo buccea cibi misceatur, secernentium, copiam demum ejusdem humoris perpetuo ad stomachum abunde remittentium. Tanta quidem tamque notabilis ejus in ore quantitas est, ut peculiari Salivæ nomine gaudeat, etiamsi nihil fere, in compositione sua, a reliquo corporis muco discrepet. Præter autem fabricam mucosam, sensu gustandi quoque os præditum est, animi decretis haud ambigue parens. Pharynx vero saccus carnosus, forma sua conica infundibulum æmulatus, vix aut ne vix quidem voluntati paret, mucum minore copia suppeditat. Paulatim in gulam contrahitur, qui quidem tubus ad instar totius canalis alimentarii considerari debet. Eædem enim ei tunicæ sunt, eædem fere contrahendi vires, ac motus peristalticus. Eadem quoque si non major, muci secretio. Cum autem nulla cibi in ea mora sit, simplicioris paullo fabricæ est, nec ullos in sinus usquam dilatatur. Finis ejus inferior in Cardiam, seu ventriculi initium latescit, apud foramen diaphragmatis sinistrum,

qua parte membrana ejus interna natura mucosa et laxa, a gulæ parietibus nonnihil discedere videtur, et per medium canalem laxe pendere; ideoque valvulum cardiæ nonnullis ibi constituere visum est *. Tota gula mucis abundat, quos partim os eo detrudit, partim ipsius gulæ glandulæ secernunt.

Ventriculus quinque tergoribus instrui dictus est; quorum tria muneribus ejus perfungendis mire inserviunt. Opus enim succo erat, quo cibus in Chymum commutaretur; datur tunica interna villosa, unde quantum sat est, excernitur. Non potuit tamen materia, sive cibus ea esset, sive chymus, in stomacho semper manere; dantur musculosa strata, quæ proprio tempore expellant. Ne tamen membranæ interiores nimium ingestis distentæ sint, additur et tunica externa, peritonæo derivata, ideoque serosa nec facile dilatabili, natura talis qualis limites ponat interiorum expansioni. Quæ duo alia memorantur tergora, telæ cellulosæ laminæ sunt priora concopulantes.

---

* HALL. El. Phys. vi.

Membrana vero ventriculi mucosa, cuticula carere dicitur, in plicas radiatas prope cardiam convergere, sed portionem Pyloricam dictam annulatis obsidere. Ipso pyloro valvula est, quæ osculo stomachi inferiori præsidet.

Musculorum in alveo intestinali duo inveniuntur genera, externum fibris juxta longitudinem compositis, internum fibris circularibus. Utriusque ordinis fibræ fere æquali sunt crassitudine, nisi quod longæ per curvaturam ejus minorem plusculæ sint, et transversæ inter eam internæ tunicæ plicam quæ valvulam pylori efficit.

Gulæ ac ventriculi vis nervosa e nervo vago maxime derivatur; sanguinem vero vasa vicina suggerunt affatim. Ventriculo quidem insignis datur corona, inter omentum et maximum curvamen quodammodo media: neque minus notandæ sunt tres curtæ illæ arteriæ splenici trunci soboles, *breves* appellatæ. Absorbentia ejus omnia lymphatica sunt, et per glandes in curvaturis ejus ad Ductum Thoracicum tendunt.

2. DE CIBORUM INGESTIONE.

Cibus, in os receptus, teritur, et saliva probe miscetur, viscida scilicet natura quæ particulas diffractas conglutinat miscetque. Inter mandendum fluit ubertim maxilla parotides premente, sed præcipue ob consensum inter ventriculum et ora.

Docet enim devorandi necessitas, docent et misera eorum exempla, quibus gula aliqua causa occlusa fuerit, via nova cibus in ventriculum facta *. His enim alimentum ventriculo introductum, salivam ex ore profundi rivatim efficit.

Docet quoque ingens vis superfluæ salivæ quæ perpetuo per pharynga gulamque in stomachum defluit, gulamque oblinit. Mira demum machinatione, quam nondum omnino statuerunt medici, buccea jam masticata, per omnes oris, linguæque anfractus, per periculosam admodum laryn-

* Ed. Med. Chir. Jour. xvi.

gis aperturam, in pharynga tandem vehitur. Illud lingua ossisque hyoidis musculi operantur. Potus, utpote qui nulla manducatione egeat, eadem sed celeriore ratione in pharyngem venit.

Hac deinde contrahente, in gulam, atque gula, suo motu peristaltico utente, in ventriculum detruduntur, muco per totum iter semet cibo immiscente. Atque hæc ciborum ingestio est.

3. DE VENTRICULI IN CIBOS ACTIONE.

Si massam cibi potusque in gula, vel statim ut ventriculum intraverint, aliquis exploret, eandem fere conditionem quæ in ore iis fuit, inveniet. Nimirum particulas rerum ingestarum comminutas, et diversæ molis, cumque saliva et muco mixtas videbit, at eadem natura, nec dotibus vel minimum mutatis. Sequitur, os, pharynga, et gulam stomacho pro infundibulo esse: nec in præsentia quidquam compositionis ejus immutare. Sed brevi, e. g. bihorio, post cibum ingestum, si examinatio iteretur, rerum species valde diversa. Tunc, si cibus simplex et probe commoli-

tus, pristinæ materiæ nusquam apparent: e conspectu abierunt, et vice earum pulpa quædam æqualis totum ventriculi cavum implet. Si potus aliquis simul ingestus fuerit, is prorsus * evanuit; ni forte materiam aliquam vegetabilem suspensam habuerit, quæ in ventriculo relinqui solet.

Quo igitur evasere alimenta? Unde pulpa ista eduliis tam dissimilis, sui semper, qualiscunque fuerit cibus ingestus, simillima? Hæ quæstiones, utpote magnam partem theoriæ concoctionis involventes, omnium sæculorum medicos exercuere. "Duce alii ERASISTRATO teri cibum in ventre contendunt: alii, Plistonico Praagoræ discipulo, putrescere: alii credunt HIPPOCRATI, per calorem cibos concoqui: acceduntque ASCLEPIADIS æmuli, qui omnia ista vana et supervacua esse proponunt: nihil enim concoqui; sed crudam materiam sicut assumpta est, in corpus omne diduci. †" Nodum scindere, quod solvere nequiret, ASCLE-

* MAGENDIE, Physiol. ii.

† CELS. i. Præf.

PIADI temerarium fuit consilium: sed ipsa phænomena supra dicta ei repugnant. Si enim materia cruda, ut assumpta est, in corpus diducitur, Quomodo unius horellæ in ventriculo mora, omnia ejus vestigia abolevit? unde pulpa illa, nunquam post cibum ingestum, non visa? Quædam tamen huic ASCLEPIADIS cruditati favere videntur. Alitur corpus cibariis in alvum per inferiores partes injectis; ubi tamen ullum concoctionis processum subsistere nemo suspicatur. Carnis bubulæ offa grandior ventriculo imposita perinde vitam sustinere visa est; et extracta animalium et vegetabilium alibilia, aqua vel alcohole soluta, nutriunt, quanquam instanter fere ac in ventriculum pervenerint, sorbeantur. Haud ita absurde igitur, ASCLEPIADI hæc notio placuit, ut primo intuitu videretur, sed rationem haudquaquam reddit actionis *ventriculi.* Chemici, inter artes redivivas exorti, fermentationem causabantur.

Clarissimo viro, ALBERTO VON HALLER, alia arrisit magis sententia. Nimirum, macerando rem fieri, ac omnes mutationes istas quas videmus, solvente salivæ et muci efficacia fieri. Neque longe a vero aberravit vir illustrissimus; anno

enim salutis 1752, Gallus percelebris, Reaumur, talem liquorem macerantem in animalibus existere ostendit, Succumque Gastricum appellavit. Buteoni, utpote animali facile evomenti, varios cibos ingessit; tandem quidem tubis semiobturatis inclusos. Hi tamen, æque ac priores, in pulpam conversi sunt. Quando quidem ventriculi calor minor esset, succum ejus eo penetrasse solum putavit: atque colligendo liquorem, vimitu buteonis ejectum, ipsum liquorem macerantem facile obtinuit, examinique subjecit. Postea vero, Stevens et Spallanzanus, cum turba minorum gentium, rem ultra persecuti sunt; atque nuper Goss Genevensis *, et Magendius Parisiensis, e ventriculo humano, satis purum succum gastricum ejicere docuere, ære nimirum prius devorato.

Hic succus nec acidus nec alcalinus videtur: et chemica arte exploratus, invenitur multum mucum habere, multam aquam. Acidi lactici aliquantulum, cum materia aliqua, aqua sed non

---

* Parr. Med. Dict.

alcohole solubili, conjunctum, muriates ammoniæ, potassæ, et sodæ *. SPALLANZANUS acidum phosphoricum et albumen memorat; alii alia. Lac coagulat, et, extra corpus, res coctibiles macerare et solvere videtur. Atque multa experimenta demonstrant cum non minore intra ventriculum virtute pollere. Equidem, si lapides quosdam, et metalla nobiliora excipias, vix datur materia adeo obdurata, quæ non hoc succo tandem tabescat; ferrum, cuprum, plumbum haud ita raro solvi convenit; et totæ dantur nationes, e. g. Ottomaci, quibus per certum anni tempus, steatites quidam pro alimento est. Ossa haud difficulter solvuntur, et caseum bipenni tantum dividendum Batavi impigre vorant. Infinita quidem essent omnia dura, quæ aut dira necessitas, aut casus aliquis, stomacho commendaverit. Utcunque vero valeat succus gastricus ad solvendum, nemo hactenus ostendit eum solam esse concoctionis causam: sed propter majorem ejus efficaciam, plerique in eam opinionem inclinare

---

* MAG. ii. 13.

videntur. E vasis brevibus secerni EVERARDUS HOME auctor est; hoc autem non satis constat. Quomodo in cibum agat succus, non apparet. Vis enim solvens ejus extra corpus mediocris est, neque facile tantis mutationibus æquus videtur. Alii intestinam quandam et propriam cibis actionem eum ciere putant, alii particulas suas addendo tertium quid componere, alii demum simpliciter solvere. Quæstio quidem est, quam is primus solvet, qui omnes actiones elementorum oxidorum quaternariorum plane didicerit. Desunt enim data, quibus fundari ratiocinia nostra possint.

Hæc pulpa alio nomine Chymus dicitur, scilicet quæ nunc humida, mollis, semifluens, humorem referat. Post primam horam formari incipit, et maxime abundat pylorum versus, ita tamen, ut aliqua ejus portio subinde in angulo magno conspiciatur. Incipit a summa pulpa, paulatim ad partes ejus profundiores descendens. Diu locuti sunt medci, quasi unius esset coloris, quem cinereum describunt; sed ille multum variat pro cibi genere. Nihilominus post quartam horam raro ulla cibi portio formam pristinam retinet; atque si massula aliqua diutius restitent, volumen

et integritas ejus magis causa apparet, quam compositio vel vires insolubiles.

Interea loci gasia quædame volvuntur, ab aëre communi, quem cum cibo ingeri fingunt, penitus diversa. In suspendioso quodam infelice Magendius hujusmodi mixturam reperit: oxygenii 11, acidi carbonici 14, hydrogenii 3.5, azotii 71.5: sed hæc gasia raro in animalibus videntur, atque fortasse ad dyspepsiam quodammodo pertinere possunt.

Chymus cito per pylorum descendere incipit; raro quidem plus quam duas tresve uncias una in stomacho reperies. Ad secundam post cibum ingestum horam, pylorum sollicitare incipit, et ante sextam ventriculum penitus evacuavit. Sed inter hos limites multa discrimina sunt, pro cibi genere, viribus ventriculi et corporis, affectibus animi, vel gradu exercitationis interim usurpatæ. Quin læsiones nervi octavi supra ramos pulmoneos chymi formationem prorsus suspendunt, putredine brevi insecuta *. Iidem vero nervi infra pul-

---

* Hall. El. Phys. iv.

moneorum exitus resecti, nihil ejusmodi afferunt; quin, ' les alimens qui sont introduits ensuite dans le stomac y sont transformés en chyme, et fournissent ulterieurement un chyle abondant *."

Hinc apparet, Cl. Wilson Philip, (Vital Funct.) haud bene hanc functionem Galvaniamo attribuere, quoniam suspensio ejus ad respirationem læsam, non ad nervum discissum referenda sit, ideoque aucta concoctio, ex stimulato nervo, nihil habeat insoliti, unde novam naturæ legem colligere possis.

Cur Pylorus modo claudat seipsum, modo iterum aperiat, nemo hactenus recte dixit. Magendius motui peristaltico ventriculi attribuit, et narrat se vidisse chymum, inter eum motum quo pylorus ab angulo magno recedit, in duodenum descendere. Latet adhuc etiam causa, cur hic descensus certo concoctionis stadio incipiat; nam seligendi vis, ei a multis attributa dubia videtur. Infinitæ enim res vitæ infestissimæ pylorum sine mora transeunt.

---

* Mag. ii. 95.

4. DE MUTATIONIBUS DUODENO EFFECTIS.

Chymus in duodenum tandem delatus, duas in partes vulgo dividitur. Prima pars unicus humor est semifluidus, odore acri, sapore acidulo, colore cinereo; uno verbo, idem chymus qui in ventriculo fuit. Alia pars ex iis rebus constat, quæ succo gastrico non solutæ sunt.

Atqui apud osculum ductus choledochi communis, bilem et succum pancreaticum recipit; novas induit dotes; color fit flavus, sapor amarus, odor multo lenior. Si cibus habuerit oleum, Magendius ait, flocculos deformes, planos vel rotundos enatare, valvulisque duodeni adhærescere, quos *chylum brutum* vocat.

Si vero cibus non oleum habuerit, stratum cinereum est, variæ crassitudinis, quod valvulis adhæret, et Chyli elementa continet. His similia sunt signa per jejunum; sed in ileo, materia chymosa crassior fit. Color flavus evadit saturatior, aliquando inter colorem fuscum et viridem aliquid ostendens, quod per parietes intestini pe-

netrat, et distinguit ileum a duodeno vel jejuno. Prope cæcum fere nullæ sunt chyli striæ. Secunda pars chyli, vel res alienæ non concoctæ, intactæ per duodenum et intestina tenuiora videntur.

Gasia in hoc tractu quoque evolvuntur; atque multum acidum carbonicum, mediocris portio hydrogenii et azotii, inventa sunt in Gallis quibusdam, summo supplicio affectis. Oxygenii nulla vestigia. Videntur bullæ aëreæ a chymo ipso sæpe liberari, prope ostium ductus communis choledochi. Qualis autem sit affinitatum lusus ille, qui chylum constituit, gasia separat, minime constat. Nonnulli saccharum bilis cum muco et utilibus partibus chymi conjungi, resinam vero cum ineptis et excernendis fabulantur: sed mera conjectura est. Certum illud utique est, chylum novam materiam esse, tam a chymo, quam a novis succis adjectis, longe diversam.

5. DE GENERIS ABSORBENTIS EFFECTU.

Jam supra monstravimus, chylum, seu illum humorem, qui succis hepaticis ac pancreaticis

cum chymo mistis gignitur, valvulis intestinorum conniventibus adhærere. Pulchre quidem ad hoc instruitur totum intestinum tenuius; atque flexiones ejus multiplices, immensa longitudo, motus peristalticus alternus, eidem consilio apprime subserviunt.

De hac intestini cavea tandem absorbetur sic, ut hora septima vel octava post prandium, nulla ibi chyli portio insit. ASELLIUS partem ejus jamdudum per lactea vasa ad receptaculum repere invenit; sed FLAUDRIN, DUPUYTREN, et MAGENDIUS nuper venas mesentericas insignem sorbere portionem ejus docent, ut omnis fere antiquitas ante HUNTERUM docuerat. Itane res se habeat, hic minime quæro: qui plura velint, MAGENDII Physiologiam adeant. In lacteis vehementer mutatur Chylus. Jam albet; cochleari collectus cito cogitur, atque vigesima quarta deinde hora in serum et crassamentum separatur. Hic novus color motusque spontaneus effecere, ut apud multos nomen satis aptum, LYMPHAM LACTEALEM, acceperit. Crassamentum ejus sanguinis cruorem vehementer refert, medium quodammodo inter fibrinam et albumen. Serum vero albu-

men commune habet, calore vel alcohole coagulandum; *adipoceram*, saccharum, et sales communes fluidorum animalium. Alcalina jam ejus indoles est. En igitur liquor a chylo intestinorum diversissimus! qui per ductum thoracicum ruit, ibique lympha communi miscetur, atque tandem in sanguinem deducitur. Quomodo vero hæ mutationes fiant, haud constat. Alii facultati seligendi cuidam potius quam lacteorum originibus attribuunt, alii glandulis mesentericis ascribunt; sed hæ sententiæ parum expediunt difficultatem. Residuum vero chyli intestinorum, per eadem transvectum, motuque peristaltico promotum, ad crassiora pervenit, unde suo tempore ejicitur, plerumque haud sine sponte hominis.

6. DE PULMONIS EFFECTU.

Ductus Thoracicus in venam subclaviam, hæc in cavam descendentem, hæc in auriculam dextram cordis desinit. Deinde in ventriculum dextrum chylus descendit, atque ab eo cum sanguine suo, in pulmonem per arteriam pulmoneam de-

fertur. Hic ultimum videtur; nam sanguis venarum pulmonalium nullum chyli vestigium indicat.

Qua quidem ratione in pulmonibus evanuerit, medici hærent. Secundum recentissimas respirationis theorias carbo e pulmonibus inter expirandum liberatur; et haud paucis hic carbo e chylo tunc pertranseunte evolvi visus est. MARCET, PROUT, FYFFE et ARMSTRONG, de hac opinione legendi sunt; quæ tamen mihi parum firma videtur, quoniam homo diuturno jejunio maceratus, nullum chylum habere potest, tamen acidum carbonicum usque spirabit.

Verisimilius loquuntur, qui fibrinam et globulo sanguinis illum formare docent; atque lætiore suo tinctu admisto, atrum purpureum in coccinum vividum convertere. Huic sententiæ vix non assentiri possumus, si originem, cursum, et usum ultimum hujus laticis, rite contemplemur. Totæ quidem ambages atque itinera quæ percurrit, chylo elaborando inserviunt. Saccharum, quod in lacteis monstrat, hic fortasse novas subit mutationes, quales haud cunctanter pati assolet.

7. DE CONCOCTIONE MORBOSA.

Sub uno dyspepsiæ nomine, multiplicia concoctionis morbosæ mala, Cullenus diligenter congregavit, atque hisce verbis definivit :

"Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia ; pauciora saltem vel plura horum simul concurrentia, plerumque cum alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium morbo."

Dividuntur eadem mala in idiopathica et symptomatica. Symptomatica quidem aut a malis ventriculi fortuitis, vel universi corporis, oriri possunt.

Mala ventriculi sunt, scirrhus ejus, aut pylori aut rarius cardiæ : ulcus, gastritis, hernia, compressio, cartilago ensiformis molesta ; vermes, bilis, venena, calculus, aliena in ventriculo recepta.

Mala universi corporis sunt, dentitio, hysteria, chlorosis, graviditas, podagra, nephritis, cordis vitia, febris, phthisis, nausea marina. Hæc om-

nia variis modis sympatheticum concoctionis vitium adferre possunt.

Causæ quidem idiopathicæ formæ aut externæ sunt aut internæ : sed omnes eo conveniunt, ut vires ventriculi aut primitus aut consequenter obterant. Primum vero formas morbi expendere oportet.

Anorexia cibi cupiditatis defectus est, et a succo gastrico deficiente, vel muneri suo non valente, oriri apparet. Ne autem minor cibi appetitus semper morbosus habeatur, cave ; quoniam excretionum, etiam fatigationis diminutio, cibi cupidinem necessario imminuet.

Nausea, vomendi desiderium, cum molestia peculiari præcordiorum : *Vomitus*, vero absoluta ingestorum rejectio est, qualem septum transversum, et musculi abdominis faciunt ; ventriculum forte ipsum contractum, comprimendo. A ventriculo irritabiliore, vel inquilino ejus acriore, nascuntur ambo.

Inflatio, ructus, ruminatio, congenera mala sunt. Prior gasis formatio est, secundus excretio ejus jam uberius formati; ruminatio ciborum, lenis ejectio. Semper fortasse gasis aliquid sub legitima concoctione evolvi, supra ostendimus; et cardiacorum medicaminum effectus ultra ostendit. Gas igitur, si nimium sit, moleste habere, tandemque eructari, conceptu haud difficile est. *Ruminatio* rarior est, vix tamen sine inflationibus apparens, adque eas maxime pertinens.

Cardialgia, dolor cardiæ ardens est, cujus theoria paulo difficilior est. Alii acido nescio cui, alii gasi (ut hydrogenio carbureto), alii inflammationi tunicæ internæ ventriculi vel œsophagi, alii succo gastrico acriori attribuunt; sed in tanta opinantium licentia nihil patuit, quod litem dirimere queat. Fortasse nihil est, nisi distentio quædam molesta ventriculi.

Gastrodyniam adesse, per dolores acutos stringentes vel jaculantes, vel demum spasmodicos, medici judicant.

Obscurior adhuc hujus theoria extat. Momento sæpe lethalis fit; sæpe diu macerat; sæpe in veram gastritidem desinit. Plerique spasmum esse, acido stomachi fluido concitato; nec pauci tamen sanguinis congestionem, inflammationis communia initia, haud dubitanter existimant. Subitæ inde mortes nequaquam bene adhuc intellectæ sunt.

Homini, qui nihil acre aut insalubre in ventriculum ingerit, concoctio prava instrumentorum debilitatem utique indicat: neque aliter quidem vexari potest, nisi intestina quadam elementorum cibi inter se invicem actione, novorum simul corporum evolutione. Sanis tamen omnia bene coquuntur, et metuo, hercle, ne ii qui stomacho laborantes, cibo non flatulento sanare quærunt, effectum pro causa falso incusent. Utiliter certe agunt, et mala præsentia mitigant; sed qui ipsius inflationis causam tollet, medicus erit longe commodior.

FINIS.